Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uniuersi uos tamquam parietem inclinatum et maceriam depulsam. Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere eum. Vbi in ore suo benedicebant et corde suo maledicebant. Verumtamen deo subiecta esto anima mea. quoniam ab ipso patiencia mea. Quia ipse deus meus et saluator meus. adiutor meus non emigrabo. In deo salutare meum et gloria mea. deus auxilium meum. et spes mea in deo. Spera in eo omnis congregacio populi. effundite coram illo corda uestra. deus adiutor noster in eternum. Verumtamen uanitas filii hominum mendaces filii hominum in stateris ut decipiant ipsi de uanitate in idipsum. Nolite sperare in iniquitate. et rapinas nolite concupiscere. diuitiae si affluant nolite cor apponere. Semel locutus est deus duo hec audiui. quia potestas dei est. et tibi domine misericordia. quia tu reddes unicuique secundum opera sua.

Deus deus meus ad te de luce uigilo. Sitiuit te anima mea. quam multipliciter tibi caro mea. In terra deserta inuia. et inaquosa. sic in sancto apparui tibi ut uiderem uirtutem tuam. et gloriam tuam. Quoniam melior est misericordia tua. super uitas labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in uita mea. et in nomine tuo leuabo manus meas. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. et labia exultacionis laudabit os meum. Si memor fui tui super stratum meum in matutinis meditabor in te. quia fuisti adiutor meus. Et in uelamento alarum tuarum exultabo adhesit anima mea. post te me suscepit dextera tua. Ipsi uero in uanum quesierunt animam meam. introibunt in inferiora terre. tradentur in manus gladii partes uulpium erunt. Rex uero letabitur in deo. Laudabuntur omnes qui iurant in eo quia obstructum est os loquentium iniqua.

Exaudi deus orationem meam cum deprecor. a timore inimici eripe animam meam. Protexisti me a conuentu malignantium. a multitudine operantium iniquitatem. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas. intenderunt arcum rem amarum. ut sagittent in occultis immaculatum. Subito sagittabunt eum et non timebunt. firmauerunt sibi sermonem nequam. Narrauerunt ut absconderent laqueos dixerunt quis uidebit eos. Scrutati sunt iniquitates. defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo ad cor altum. et exaltabitur deus. Sagitte parauuloorum facte sunt plagae eorum. et infirmates contra eos linguae eorum. Conturbati omnes qui uidebant eos. et timuit omnis homo et annuntiauerunt opera dei. et factum eius intellexerunt. Letabitur iustus in domino et sperabit in eo. et laudabuntur omnes recti corde.

Te decet ymnus deus in syon. et tibi reddetur uotum in hierlim. Exaudi orationem meam ad te omnis caro uenietur. Verba iniquorum preualuerunt super nos et impietatibus nostris tu propiciaberis. Beatus quem elegisti. et assumpsisti inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tue. sanctum est templum tuum mirabi